



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos  
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rervm  
Christianarvm Memoria, Libri X**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Helmestadi[i], 1671**

Cap. II. De Origene.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10968**

**H**ujus scilicet Origenis vitam, & actus, & dogmata, si quis vult plenius nosse, legat Eusebium, de quo hic transferimus. Qui de eo tanta & talia scribit, quanta & qualia non est dignum huic compendio inferere; maxime cum noverimus, prædictum Eusebium, à quibusdam ecclesiasticis viris aliquantulum notatum fuisse, quod nimius fuerit in laude Origenis. Illud vero de eo breviter enarrabimus, quod etiam orthodoxi quoque, & religiosi viri diffiteri non possunt.

**O**rigenes, Leonidis martyris filius, & ipse fere à pueritia voluntate martyr, & forsitan actu, nisi quia à matre, surripiente noctu vestes ejus, pia fraude præpeditus est, magnam à Deo & manifestam gratiam scientiæ consequitur, potens in Grammatica, & cæteris communibus literis, & in omni Philosophica eruditione apprime institutus. Maxime autem in lectione & doctrina divinorum voluminum, potentissimus illius temporis, & famosissimus indagator. Hic ergo, pro magna & incredibili scientiæ prærogativa, Doctor ecclesiæ apud Alexandriam à Demetrio istius loci Episcopo constituitur, cathedramque doctoris obtinet